

...ration.

4

01

A

55



M. K. 22<sup>7</sup>  
(Luth. 43 Pape.)

24  
POPULARITATEM  
PRINCIPIS,

AD  
EXEMPLUM TIBERII

Ex

C. CORN. TACITI *Lib. 3. Ann. c. 69. n. 4.*

Annuente supremo Numine

IN CELEBRI ATHENÆO

Magnificentissimi SENATUS TREMONIANI *Inst.*

*Publico Eruditorum Examine*

*no. 2. d.*

SUB MODERAMINE

M. CHRISTIANI  
GRÜBELII,

ARCHI-GYMNASII PRO-RECTORIS  
& Phil. P. P.

*Submittit*

RESPONDENS

JOHANNES à Steinens

Frönberâ - Marcanus.

*Ad diem 24. Martij,*

A. R. S. clō Ioe LXXVII.

*In Auditorio Majori.*

---

TREMONIÆ ære ANTONII Kühls.

SERENISSIMIS. AC. CELSISSIMIS  
PRINCIPIBUS. AC. DOMINIS

DN. JOHANNI ERNESTO,  
DN. JOHANNI GEORGIO,  
DN. BERNHARDO,  
DN. FRIDERICO,

DUCIBUS. SAXONIÆ. JULIACI. CLIVIÆ  
ET. MONTIUM. LANDGRAVIIS. THURINGIÆ  
MARCHIONIBUS. MISNIÆ. PRINCIPIBUS  
HENNEBERGIÆ. COMITIBUS. MARCÆ  
ET. RAVENSBERGÆ. DYNASTIS  
RAVENSTEINII

ILLUSTRIS. ACADEMIÆ. JENENSIS  
NUTRITORIBUS. MUNIFICEN-  
TISSIMIS

DOMINIS. MEIS. CLEMENTISSIMIS

OB

SUMMAM. POPULARITATIS. ARTEM  
QUAM. IN. IPSIS  
LAUDANT. EXTERI. ADMIRANTUR. VICINI  
SUMMA. VENERATIONE. PROSEQUUNTUR  
SUBDITI

MONUMENTUM. HOC  
NON. ILLUD. QUIDEM. MARMOREUM  
VERONTAMEN  
NUNQUAM. INTERMORITURA  
PIETATE

P.P.

SERENISS. CELSIT. VEST.

*Humilimus Servus*

M. CHRISTIANUS GRÜBELIUS, Archi-Gymnasij  
PRO-RECTOR.



Tac. Lib. 3. Annal. Cap. 69. n. 4.

QUANTO RARIOR APUD TIBER-  
RIUM POPULARITAS, TANTO LÆTIO-  
RIBUS ANIMIS ACCEPTA.

§. I.



Lorentinos Principes è prima Taciti pagina tam excellentes Medicos evasisse, ut gangrænam discordiarum civilium, Florentiæ grassantem, sanarent feliciter, insigni elogio de Nostro ingeniosus & acutus, modò ubique satis cautus, è Parnasso Politicus refert, eoque ipso indicat uno capite 2. libri 1. πολιτικώτατα plurima & maximorum arcanorum sedem reperiri. Et sanè, si componere *Cosmi Medici Acta*, ut à Joanne Baptista Hadriano & ejusdem nominis Cino scribuntur, placuerit, jurabis, ex Taciti schola prodiisse: si placuerit oraculum intueri, illud momentum esse fateberis, in quo *Tacitus* se ipsum vicit, quod paucis multa dixit, mira arte de Augusto differens. De Tiberio verò judicasse ipsum acumine non minori, non uno tantum loco probatum dedit. Nam si quis callidi & ad arcana, quibus in Rep. locus est, nati Principis exemplar desideraverit, næ ille ibi intueri velut in illustri loco positum poterit Tiberium, hominem peculiaris ingenii calliditatisq; prope fidem excedentis. Proinde non alio sæpius nomine eum notatum à nostro videas, quàm quo notavit Claudium, Neronem, Vitellium, sub quorum elogiis non facile de-  
sidera-

A 2

sidera-

sideraverint Principes seræ posteritati memorari. Tan-  
tum verò abest, ut ad seculi sui morem formatum animum,  
quo ipse in intima Senatorum consilia penetravit, plebe-  
josque impetus reprimere aptus natus erat, & incredibili  
arte res arduas nec inhonestas, publicam utilitatem spe-  
ctantes, occultare novit, damnemus, ut potius ex subtilissi-  
mis prudentiæ regulis egisse nobis videatur. Non illustrius  
hujus rei exemplum est, quàm quod apud nostram *Annal. 3.*  
*Cap. 69.* reperitur; Ubi Cornelium Dolabellam, qui, ex eo  
quo ducebatur adulandi studio, Principi tribuebat potesta-  
tem judicandi de magnorum virorum moribus, eminentiâ,  
dignitate, muniis, ita Tiberius excipiebat: *Non utendum*  
*imperio, ubi legibus agi possit.*

§. 2. Scilicet non latebat Principem, ex suo inge-  
nio aliorum dicta ac facta metientem, quantum invidiæ  
odiique sibi pararet, si posthabita maximæ partis ratione,  
ademptaque spe adipiscendi honores, inter tot hominum  
capita, seculi moribus vitiata, optimum quemque eligeret:  
præterire aliquos intutum, eligere inhonestum esse, puta-  
bat: insuper si hi, qui maximos honores consecuti essent,  
iis se se præberent indignos, tum penes illos quidem cul-  
pam & poenam nequitæ fore, sed in se, qui autor fuisset,  
hos talibus afficiendi dignitatibus, omnem ignominiam  
pudoremque recasurum videbat, quod non dedisset me-  
liores, majoraque constantiæ eorum & fidei documenta  
explorasset, antequam illos ceteris præferre ausus fuisset.  
Itaque istam eligendi potestatem non accepit, velut non  
difficilem tantum, sed & periculosam & cum invidiâ con-  
junctam: Illa verò, quibus Ipse instructus erat Sophismata  
Politica in re tam ardua consilium Principi suppeditabant,  
ne ipse dictas causas prætenderet, sed de re ita differeret,  
quasi Principis auctoritas augetur, si ex legum dictamine  
ipse

iple procederet, cum cautum antiquitus legibus fuerit, quæ facienda necne essent, quæque omnem rationem imperandi proponerent, modumque exequendæ & remittendæ poenæ in se continerent. Hæc Principis verba moderationis plena morum gnaris acceptissima erant. Unde *Tacitus: Quanto rarior apud Tiberium popularitas, tanto latioribus animis accepta est.*

§. 3. Non possum, quin curatius paulò perpendam, quænam fuerit ista *Tacito* laudata popularitas, rationemque reddam, cur ipsa tantâ lætitia animos hominum perfuderit. Nam ut cetera omnia, quæ ad imperandi scientiam pertinent, homo civili prudentia imbutus scire debet, ita ei haud minori studio annitendum est, ut intelligat, quid faciendum Principi, si sibi favorem amoremque civium comparare, illosque demereri velit. Si enim quis rerum potitus imperii nervos coadunatos velit, nihil efficacius esse reperiet, quo suis conatibus satisfaciatur, quàm amorem civium. Licet enim cetera vi aut fraude perumpas, hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum est, munimento non egere. Non juvat, prolixè deducere, quæ trita sunt, & ab aliis abundè tractata. Notatu tamen digna judicamus, quæ in *Colloquio Poly-nices & Jocastæ apud Senecam Tragicum* occurrunt in *Thebaide*, quorum ille motum, hic amorem subditorum in Regem extollit, & in iis, quæ *Livia ad Augustum apud Dionem* 1. 55. prudenter differit, quibus addas licet, quæ *Lipsius incomparabili Politicorum opere Lib. 2. Cap. 11.* tradit. Quo verò institutum nostrum feliciter succedat, in ipso *Dissertationis* limine ostendere juvabit, quo usque progredi velimus. Non igitur chartæ angustias admittere scias, nec rationem instituti, ut alia, quàm *Tiberiana* exempla sequamur aut illustremus, cum non minus in iis

varias regnandi artes reperias, quæ ex intimo secretioris prudentiæ sinu prodierunt, quàm quæ liquidè & abundè in Monarchiâ principalique statu rationem popularitatis, usum, finem, oculis nostris subjiciunt. Non enim fore credimus, ut quis illa arcana, quibus vel in Aristocratiâ, vel in Democratiâ locus est, hæc à nobis expectet. Cum enim sint numero plurima, & varios fines spectent, atque adeò diversum tractandi modum requirant, ratione instituti habitâ ea ne tangere quidem placet. Quod si tamen & ista regnandi sophismata ex parte cognoscere volueris, mea quidem sententia expectationem tuam non fallent *Aristoteles s. Lib. Polit. & inde collecta ac ex parte aucta Clapmarii & Ludovici Septalii Arcana.*

§. 4. Ex dictis igitur liquet, animum non esse, quamcunq; popularitatem persequi, id enim & prolixum esset, & à nostro instituto alienum, sed illam tantum, qua in Regno Principes summaq; rerum administrantes ad amorem sibi, civibus lætitiâ gignendam, vimq; principatus stabiliendam, augendam, conservandam, uti solent. Hanc si ritè exponere velimus, procul dubiò inter præcipuas artes Principis numerabimus, cum, quæcunq; imperans subditis imperare velit, absque ea si fuerit, dura asperaque videantur. Ut proinde dici queat Ars summa, Principi necessaria, qua quoties opus est, non nihil ex fastigio suo descendit, ex potestate remittit, ex voluntate inflectit in favorem populi, ut mutuam membrorum benevolentiam, concordiamq; & ex ea salutem publicam instituat, alat, roboret ac tueatur.

§. 5. Deducitur vox popularitatis à populo, quia ad eum maximè pertinet, ejus moribus, voluntati, ingenio inserviando. Non verò per populum intelligas velim plebem tantummodo, sed unâ cum eâ optimates, atq; adeò civitatem



tem totam. Neq; enim novum est, sub istâ significatione adhiberi vocem, utpotè quæ Taciti & Suetonij ævo usu recepta fuit, uti in illius *lib. 4. Hist. c. 1. n. 2. c. 65. n. 5.* hujus verò vitâ *Tiberii Cap. 26.* videre est. Licet verò magnæ prudentiæ sit, ita mores suos componere, ut nec severitas amorem, nec facilitas auctoritatem minuat. Tiberius tamen, ea qua pollebat calliditate, utrinque id præstitit, quod primores desiderabant, & in quod ferebantur vota plerorumque ex plebe. Nam ut erat callidus, ita intellexit, si internam Principatus vim non vel qua speciem legibus subjiceret, libertatem quidem civium in universum invidiosè oppugnari, sed simul, si sub acceptæ potestatis titulo in vitia moresque primorum inquireret, videretque, qui officiis honoribusque ornandi nec ne essent, etiamsi honesta obtentui daret, optimatum dignitatem eminentiamque longè invidiosius minui premique. Ista verò cum egregiè observaverit Tiberius, popularitatis laudem insigniter consecutus est.

§. 5. Videri quidem primo intuitu indignum poterat palatiis Principalibus, nec in regiâ laude ponendum, obsequi plebi, ejusque studiis morem gerere, præcipuè tot artibus, inferius à nobis declarandis. Reperies enim non paucos, qui principalem dignitatem regiamque majestatem imminui vulgarique putant, si se ad procerum genium accomodet, aut ad infimam plebis fecem usque demittat. Rerum verò experienciâ celebres nil prohibere putant, quò minus salva majestate Princeps humanitatis officia subditis præstet, iisque populi favorem sibi conciliet. Nec frustra hoc esse dixeris, si rem probè apud animum reputaveris. Neque enim negari potest, in maxima civitatis parte non minimam felicitatis civilis partem consistere. At verò plebem maximam civitatis partem esse, quis

quis ignorat? Eam verò ferocem, temerariam & contumacem esse, offensasque usque in alienam suamque perniciem sine fine exercere, & historiarum monumenta produnt, & docet nos quotidiana experientia. Quis igitur aut tutò satis eam contemni, aut sine maximo periculo posse, asseveraverit? Quid? quod nulla unquam fuerit, aut esse potuerit Resp. sine plebe, nisi eam potius esse finxeris, quæ meris optimatibus constet, quàm ut in hac rerum universitate reperiatur. Licet igitur non prima, maximè tamen necessaria Reip. pars plebs est. Quemadmodum verò in corpore nostro nullum tam vile membrum est, quod non ea, qua par est, sedulitate curamus, ne totum inde aliquid detrimentum capiat: Ita, plebis quoque curam habeat imperans, necesse est, ne destructis Reip. fulcris & ipsa mole ruat sua. Hoc verò qui faciunt, plebi inservire classicis Scriptoribus dicuntur, quod & Tiberius, sedulò facturum se se, & publicè & coram Senatu promiserat. Cujus rei testis *Suetonius est in Tiberio Cap. 28.*

§. 6. Non minus igitur æquum, quàm salutare est, plebis habere rationem, & ferociam ejus, cupidinem averfandi, studium rerum novandarum hac arte vel mitigare, vel impedire, cum præsertim alia commodior inveniri non possit. Hæc enim est, quæ se peculiari quodam modo ad ingenium ejus accommodat, quæ occultâ ratione cum utilitate imperantis ipsius ingenio indulget. Tantaq; ei vis ad movendam omnium voluntatem inest, ut meritò radix amoris ac benevolentiae appellari possit, validissimum regendæ multitudinis frenum. Quum verò & metus cohibeat, amari an timeri præstet, quæritur? Sanè optimum est, ita temperare mores, ut nec facilitas auctoritatem, nec severitas amorem diminuat. Ita amor & metus contemptum excludent. Quod si verò alterutro carendum sit,  
malle

malle se pro severo atque adeò sævo haberi, Illustris Förstnerus scribit *Not. Polit. ad Tac. lib. 6. Annal.* quàm nimis facili, nec in injurias idoneâ severitate acri. Certè ut furoris plena & auctoribus suis exitiabilis vox fuit, *Oderint, dum metuant*, ita *salve* ad quemcunque directum & cum contemptu conjunctum non magis fausta vox est. Quare ut suo muneri satisfaciat Princeps, operam dabit, ut modum seruet, nec minus profusâ popularitate amorem civium conciliare sibi laboret. Aliàs futurum credo, ut, dum amorem civium quærit Princeps, auctoritatem suam amittat. Id vero oppidò difficile est. Quippe cum plebs sit rationis maxima ex parte expers & ejusmodi, ut ei non sit judicium, ut ait *Piso apud Tacitum Hist. 1. Cap. 32.* nec consilium, nec ratio, nec discrimen *Cic. pro Planc. Cap. 4.* ac proinde ratione gubernari nequeat, novâ quadam regendi formâ coercenda est. Ista verò quum ad ingenium naturamque populi accommodari debeat, non vulgari scientia hic opus esse, putandum est. Neque enim sufficere videtur communis notitia de ingenio moribusque populi, qua pronum esse in affectus, *Tac. Histor. 1. 69. 3. & 3. Histor. 64.* naturâ invidum, *Histor. 2. 20. 4.* suspicacem, *Hist. 2. 21. 3.* credulum, *Hist. 1. 19. 3. & Annal. 1. 19. 3.* turbidum, *Hist. 1. 80. 5.* verbis ferocem, *Hist. 3. 23. 3.* & semper immodicum *Annal. 1. 29. 5.* novimus vel *Lipfio autore Lib. 4. Pol. Cap. 5.* Sed &, quam induat speciem præcipuè in statu monarchico sub Regibus & in Principatu, teneat prudens imperii moderator. Proinde ante omnia observet, ad quæ in tali rerum statu potissimum genius populi feratur, & quorum cupidior esse consueverit. Id verò ut succedat feliciter, sciendum est, inter innumera bona, quibus nos Deus & Natura bearunt, nihil hominibus desiderabilius esse, quàm vitam, salutem, securitatem. Ex his igitur plebs libertatem suam metitur, ita ut eâ ipsi nihil gratius, acceptius nihil esse possit. Nam cum tria sint, quæ in se libertas con-

B

tinet



tinet, securitas vitæ corporisque, æqualitas, licentia, ex his vero duo ob principalem majestatem quodammodo expirent, unum est, quod summo studio populus annititur, ut retineat. Licet verò hic affectus præcipue in Regno locum habeat, non tamen rarò populum in æqualitatis studium & præcipuè licentiam propendere videas, sive quod illa ejus ingenio convenientior sit, sive quod ad veram libertatis rationem propius accedat, quippe quæ in facultate faciendi, quod cui lubet, consistere putatur. Quum verò hac Principis potestati subjecto uti semper non liceat, lingua factiosus est, iners operâ. Unde *impigras linguas & ignavos animos* plebi tribuit Marcus Lepidus Tribunus plebis apud *Sallust. Lib. 3. Histor. Exempla suppeditat Suetonius in Aug. Cap. 55. 68. 69. & Seneca cap. 22. & 23.*

§. 7. Quum verò regna non unius generis sint, inde affectus iste non una eademque ratione se habet, sed pro diversitate regnorum & ipse diversus est; jam vehementior, jam remissior, modò intra paucos se cohibet, modò ad plurimos se se amplissimè diffundit. Aliquando sufficere securitati credit, si nulla adsit injuria, aliquando illa timet, unde esse vix periculum potest. Alium atque alium affectum facit ingeniorum ratio, quæ in diversis nationibus diversa est. Ista enim, ut inter fundamentalia Politices præsidia rectè à *Lipso* relata, & Politicis characteribus per universam Politicam subtiliter expressa est, quod nullibi non attendi debeat, ita hic quoque suas vires periclitatur. Esse verò in diversis nationibus diversum genium, eruditè declarat *Janus Huartus*, qui eleganti conatu argumentum de diversitate ingeniorum sed castellanâ lingua persecutus est in suo *Scrutinio*, quod in latinam transtulit *Æschacius Major*, uti ficto se nomine appellat *Joachimus Casar Hallensis*: Nec de nihilo est, quod *Barclajus* præstitit, cujus *Iconem Animorum ex Garcia & Anonymo Sortianarum Questionum Auctore*, velut aurum  
ex mar-

ex marchasita & unionem ex matrice conchâ, prodiisse *Nau-*  
*deus* scribit in sua *Bibliographia Politica*, de qua re plura adde-  
rem, nisi ex instituto idem argumentum tractassem *Disputa-*  
*tione de Consiliario*, quam *Oculum & Oculos in scepro* inscripsi,  
*Cap. 3.* Inde verò ceu ex fonte rivulum fluere crediderim,  
quod aliqui proni magis sint ad licentiam, aliqui magis  
ament securitatem. Cumque hæc ab omnibus desidere-  
tur, sunt, quibus sola sufficit, aliqui, qui & cetera concu-  
piscunt. Illustre hujus rei exemplum populus Romanus  
præbet, qui nunquam ita æqualitatis amorem deposuit,  
quin non saltem imaginis illius, præsertim circa initia ap-  
petens cerneretur. Eam verò cum obvia comitate, facili  
aditu, summaque affabilitate Augustus & Tiberius civibus  
præberent, factum est, ut *civiles*, ut *populares* eos salu-  
tarent. Alium genium gentium parum cultarum, nec liber-  
tati, sed rigidiori dominationi inhiantium, fuisse, *Justinus*  
*Lib. 1. cap. 9.* prodit, quippe apud quas persona Regis sub  
specie majestatis occulebatur. Proinde quid mores populi  
ferant, ejusdemque ingenium requirat, expendendum  
probè est, ne imperans auctoritatem suam & cum ea regnum  
evertat. Hoc cum parum observaret Vonones, qui quod  
in externis istis diversus esset à majorum institutis & exinde  
popularibus ingratus, majestas ejus priorque dignitas labe-  
factata imperiumque eversum est. De quo prudenter *Taci-*  
*tus Lib. 2. Annal. Cap. 2.* ait: *Prompti aditus, obvia comitas, igno-*  
*ra Parthis virtutes, nova vitia; & quia ipsorum moribus aliena,*  
*perinde odium pravus & honestis.*

§. 8. Inde discimus, circumspeditione opus esse, si  
quis popularitatis artem exercere velit. Noscenda inge-  
nia, considerandæ gentes, vera à simulatis, inania à solidis  
discriminanda sunt. Quæ omnia quàm difficilia, intricata,  
ardua sint, tum reperiri potest, quàm ad actum rerum per-  
venitur. Si enim vera sunt, quæ tradunt, quos rerum usus

acuit, intelligere aliquid ex lectione vel auditu in rebus civilibus poteris, atque etiam judicare: tangere aut tractare eas non poteris sine usu. An verò notitia ex librorum lectione prævaleat, an experientia, ita prudenter ac nervose in magna *prefatione* ad *Polybium* expendit *Casaubonus*, ut addi nihil possit. Igitur dubitanti mihi, an post tantum *Homerum* *Iliada* scribere supersederem, aut saltem, ne quid desiderari posset, mea adderem; ea sententia sedit, traderem, tantum velle, quod, licet levia quandoque & expeditissima appareant, quæ hinc inde in libris traduntur, implicatissima sint & difficilima, si ad usum referas & praxin. Fatebuntur hoc, quotquot *Reip.* gubernaculo præsunt. Nec ineleganti id modo accurato satis exemplo *Boccalinus* *Relat. ex Parnasso* declarat. Convenisse in *Parnasso* omnes *Deos* scribit, ibique directore supremo *Jove* agitasse consilia de eo, cui gubernandi ratio tutò committi posset, & post graves deliberationes unanimi totius *Senatus* consensu contigisse, ut illud onus *Tacito* imponerent, qui regnandi peritiam multis scriptis prodidisset. *Dictum, factum.* Verum cum ægrè succederet institutum, *Tacitum* imperio fessum multis precibus à *Jove* obtinuisse, ut à regimine ad privatas *Musas* remitteretur. Verum, quod pace ejus dixerim, graviter lapsus gravissimus vir videtur, dum extra rerum usum constitutum *Tacitum* arbitratur, qui tamen, præterquam quod eruditione & judicio polleret plurimum, etiam non parum in publico rerum usu versatus est. Laudari verò meretur *Boccalinus*, quod adducto exemplo docere nos voluerit, nonnunquam non perinde felicem in administrandâ *Rep.* esse, qui in cathedra expeditus scriptisque felix est. Hoc enim ita se habere, aliquibus locis notatum *Förstnero* est *Not. ad Tac. Ann. Lipsio in Polit. & Joanne Barclai*o, amœnissimi ingenii viro, *Icon. Anim. cap. 10.* Id verò vel inde accidere crediderim, quod  
qui

qui scriptis clari sunt, in dijudicandis rebus actionibusque magis suum sequantur iudicium, quam rerum naturam. Exemplo res clara erit. Cicero vir in rebus civilibus exercitissimus, ut conceperat animo Remp. seræque posteritati reliquerat, sic ejus amore captus, gubernandam etiam putabat Romanam, ita ut, nisi cum sua conveniret, eam parum felicem arbitraretur futuram. Hinc spes de restitutione publicæ rei, consilia de libertate, cum tamen ad animum revocare sibi debuisset, consenuisse jam popularem dominatum, qui nisi in anarchiam omniumque rerum confusionem transire debuisset, non aliud ejus futurum remedium, quam ut ab uno regeretur, ut postea verissimè judicavit *Tacitus Ann. Lib. 1. cap. 9.* Cum enim non gradu sed præcipiti cursu à virtute descitum, ad vitia transcursum: vetus disciplina deserta, nova inducta; in somnum à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negotiis ad otium esset conversa civitas, salva esse non poterat nisi beneficio servitutis. *Sen. de Benef. 16.*

9. §. Anne verò sufficit, si harum rerum cognitionem imperans habuerit? Vix asseveraverim. Versamur enim in eo genere, quod magni facit notitiam, majoris usum, maximi æstimat, si notitia & usus jungantur. Proinde non minor cura adhiberi circa artis hujus exercitium debet, quam circa acquirendam notitiam sollicitudo. Dignitas argumenti postulat, ut distinctius declarem, quod animo concepi. Primo omnium probè sibi caveat imperans, ne aliquid fecisse videatur metus causa. Fieri enim nequit, ut dignitatem suam Princeps tueatur, quum magis creditur metuere, quam metui. Subditi certè & omnium prima plebs insurgunt, fiunt arrogantes, & superbire incipiunt: denique à quo se timeri putant, illum contemnunt. Hoc verò non nisi cum jactura Principis &

B 3

Reip.

Reip. fieri posse, regnandi artis periti fatebuntur. Ista  
verò ne contingat, omnibus modis laborare debet, cu-  
jus fidei concredita Reip. gubernacula sunt. Nam Perinde  
ut elephantes, qui ubi semel ceciderint, invalido sunt ad  
resurgendum nisu, ita imperantes amittunt auctoritatem,  
quam ipsis tribuebat publica gentium veneratio, nisi probe  
custodierint eam. Parum enim tuta sine metu majestas est:  
nihilque contemptius, neque infirmius, si sint, qui con-  
temnant. Indeque his talibus necesse est, pondere, quod  
urget, flecti velle, ne, si nolint, frangantur. Atque hoc  
faciat Princeps intrepido animo. Agnovere hoc plurimi  
ex Patribus S. P. Q. R. latâ gravissima sententia in Senatu  
apud nostrum *Annal. 1. Cap. 29. n. 4. Nihil in vulgo modicum:*  
*terrere, ni paveant: ubi pertimuerint, impunè contemni.* Nec  
dignitatem tantum amittet Princeps, si metum osten-  
derit, sed & nec scopum attinget, ad quem collimat. Nam  
quo pacto cum amet, cui despectui est? Quo venerationis  
cultu cum prosequetur, qui eum contemnit? Fallor, nisi  
plebis Romanæ exemplo commodè declaraverim. Illa  
cum intelligeret, se in petitione Tribunorum compotem  
factam esse voti vimque suam prævaluisse, non destitit,  
leges agrarias, frumentarias, judiciorum, matrimoniales,  
plerisq; Patrum adversantibus, summo cum ipsorum despe-  
ctu extorquere. Quanto rectius auctoritati suæ consuluis-  
sent Patres, si ea ab initio negassent, aut urgente necessi-  
tate ultro plebi obtulissent, & ita, quæ obtinere non pote-  
rant, quasi volentes dedissent. Sic enim plebi non li-  
cuisset vires suas experiri, atque inde intelligere, se per sedi-  
tiones posse obtinere, quæ quieta non impetraret. Et hoc  
contigisse post mortem Romuli Romæ *Livio* notatum est  
*Lib. 1. Cap. 17.* Nam cum sensissent Patres, plebem non  
passuram regnare Romæ nisi Regem, & à se creatum, offe-  
rendum



rendum ultrò rati, quod amissuri erant, Regem creare populo concedunt. Sed quo eventu? felici sanè. *Gratiam*, inquit *Autor*, *ineunt summâ potestate populo permiffa*, & ita ineunt, *ut non plus darent juris, quàm retinerent*. Procul dubiò omnia amiffissent Patres, qui arte hac ea servarunt, quæ sponte obtulisse videbantur. At verò aliam rationem incundam esse, prudens judicabit, si nulli necessitati obnoxius, summaque autoritate munitus Princeps fuerit. Displicent præsentia, placent superioris ætatis exempla, de quibus sentire, quæ velim, & quæ sentiam, dicere licet. Urgebat populus Romanus strenue promiffum, factum ab Augusto de dando conchiario; Augustus verò ne vehementiori petito cedere, eoque non-nihil autoritatis perdere videretur, *bona se fidei esse* respondit, apud *Sueton. in August. c. 42*. Idem observanti Galbæ accidisse diversum, cum exercitus donativum sub ejus nomine promiffum efflagitaret, apud *Tacitum Hist. 1. Cap. 5*. isque responderet: *Legi à se militem non emi*, miraberis. Verum in limine imegisse Galbam eruditè, ut solet, ostendit *B. Bæclerus in Annot. Polit. ad d. l*. Videlicet, non ut Tiberius, ita Galbâ circa prima imperandi initia versabatur; comis ille erat, callidisque simulationibus obtegere singula sciebat, hic verò autoritate sua fretus, vehementius, quam par erat, circa regni initia militibus respondebat. Neq; enim illud tempus erat revocandi antiquam, eamque durissimam servitutem. Inde postea rectè *Autor Histor. 1. Cap. 18. n. 5*. *Nocuit antiquus rigor, & nimia severitas, cui jam pares non sumus*.

§. 10. Si igitur felices successus in negotiis civilibus polliceri sibi imperans velit, ne suos sequatur impetus, videat, absque omni facto colore, sed prætextum causæ sive *negotiorum* formet, ne quippiam egisse videatur, nisi necessitate coactus, aut ductus supremâ Reip. lege, quæ est salus

lus

lus publica. Artificem hic Tiberium agnoscas, qui ut modestiam suam ostenderet, seque parem facere aliis videretur, aut non paulò majorem, quibus coloribus recu-  
saverit indignum homine honorem, quo Principes olim in numerum Deorum recipiebantur, de quo videri potest mea *de Consecratione Principum* Disputatio, Jenæ typis vulgata 1676. dici vix potest. Meretur ejus elegantissima oratio & hic locum. Ita vero ille Senatum allocutus est: *Ego me P. C. mortalem esse, & hominum officia fungi, satisq; habere, si locum principem impleam, & vos testor, & meminisse posteros volo, qui satis superque memoria mea tribuent, ut majoribus meis dignum, rerum Vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum credant. Hæc mihi in animis vestris templa, hæ pulcerrimæ effigies, & mansura; Nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur.* Inde discimus, quo velamento universi imperii arcana tegere callidissimus homo no-  
verit. Tantum abest, ut admitteret, quæ se consequutu-  
rum putabat non nisi cum magna populi invidiâ, ut, ne afficeretur tanto honore, à Patribus peteret publicè. Pro-  
pius ad institutum accedere videtur, quod ipse, deprecante populo centesimam rerum venalium, edixerit: *Militare æra-  
rium eo subsidio niti.* Quod ut intelligas recti⁹, sciendum est, Au-  
gustum instituisse ærarium militare, in quod omnium hære-  
ditatum, legatorum ac donationum mortis causa vicesima referebatur: cui postea adjunxit centesimam rerum vena-  
lium, hoc est, centesimam rerum in auctione venalium nummum. Quum igitur isti reditus, *Savilio* numerante, quot annis quinque milliones, quingenta sedecim millia & sexaginta duas libras & decem solidos faciant, vel quod vi-  
cesimam mortis causa sufficere putarent exercitui alendo, vel quod ex nativa nummos servandi indole remove-  
re à se  
onus

onus arbitrarentur, in rem suam attenti, à Principe petebant, ut remitteret onus. Hoc verò ut Tiberio suboluit, sub gravissimo servandæ militiæ prætextu petitum declinavit. Ne verò vilescat ars, vel dandi in tempore plebi, quod petit, vel ab ea accipiendi, operam dabit Princeps, ne minus frequenter eam adhibeat. Aliàs enim futurum, ut vis ejus minuatur, gratiaque ac benevolentia degeneret in assentationem. Atque hoc tum accidere videas, quando vulgus observasse se credit, Principem & cum ostentatione & sine fontica causa quærere gratiam. Inde ex altera parte adulandi ars invaluit, ita ut, dum amare se simulat imperantem, eum odio prosequatur. Hoc cum probè observasset Tiberius, non nisi rarissime dicto arcano utebatur felicissimo successu. Unde recte de eo noster: *Quanto rarior, inquit, apud Tiberium popularitas, tanto laetioribus animis accepta.*

§. II. Ut verò maturius sceptro purpuræque suæ Princeps consulat, cum alibi tum imprimis in popularitatis arte modum adhibeat, certumque temperamentum, necesse est, videatque, ne vel parum plebi concedat, vel nimium. Utrumque enim periculosum est, & quandoque Principi ac Reip. exitiabile. Sanè ut ferox equus, si ad nimias angustias redactus fuerit, sessorem excutere non frustraneo sæpe labore conatur, ita si laxo nimis ille usus freno fuerit, quàm vereor, ne dispari successu eundem impugnaverit. Non dissimili modo se se plebs habere videtur. Ita nervosè atque prudenter institutum peculiari Dissertatione persecutus *Barclajus* est, ut suis verbis idem tam bene, tam eleganter dicere desperaret *Illustris Förstnerus ad Lib. 2. Annal.* atque inde insereret *Notis suis Politicis* integram ejus Dissertationem. Ille vero introducit Cleobulum, ita Regi suo loquentem: *Quam diu lenitas in virtutibus erit, non di-*

C

cêris



ceteris ullo vitio impulisse labentem in clades Siciliam. Lenitate, inquam, tua malignitas factorum in tuas & patriæ clades abusa est. Illa facilitas & indulgentia in magnates, illa tua tuorumque majorum incauta in eos profusio prodidit præcipuas imperii vires, aperuitque injuriis despectam dignitatem. Jam quidem percussi sunt: jam silebunt defessæ factiones. Ast, ubi respirarint, expectat alios fluctus, nisi ventos plusquam Æolico utere tenueris. Pugnabunt erumpere; & quam diu vimis poterunt illi, nunquam satis Reges poteritis. Non ferunt chartæ angustia, ut plura inde excerpam, licet vel maximè mercantur. Sufficiat igitur indicasse, dandum quidem plebi esse, sed ita, ne dum consulere Reip. imperans velit, eam evertat, quod futurum erit, si pronâ concessione plebem ad vitia præclivem corruerit. Idem accidisse Capuæ apud *Livium* videas *Dec. 3. Lib. 6.* Egregium cautionis hujus exemplum apud *Suetonium* habes in *Vitâ Augusti Cap. 42.* Hic enim cum intelligeret, frumentationes publicas, quæ inter præcipuas popularitatis artes numerabantur, planè aboleri non posse, ne fortè se invito per alium, populi auram captantem, restituerentur, ita rem temperavit, ut simulatoribus, negotiatoribusque daret, atque plebem ab ignavo otio avocaret.

§. 12. Cavere vero sibi probè Princeps debet, ne dum plebi indulget, reliquas civitatis partes lædat, id est, detrahat his non nihil, ut illis largiatur. Aliàs fore credo, ut dum benevolentiam unius sectatur, amittat gratiam alterius. Hoc verò si contingit, quot ac quantis periculis se se Princeps subjiciet? Est enim insita humano ingenio invidia, ut pari dolore aliena commoda, ac suas injurias metiantur, ambo vero si concurrunt, vehementiores impetus in iis excitant. Quare non frustra esse videtur

*Cicero*

Cicero lib. 2. Offic. dum imperantibus in hoc negotio certum imperandi modum, præscribit: *Ab hoc genere, inquit, largitionis, ut aliis detur, aliis auferatur, aberunt ij, qui Remp. tuebuntur; Summa enim ratio & sapientia boni civis, commoda civium defendere, non divellere, atque omnes æquitate eadem continere.* Et Plinij dictum est in incomparabili Panegyri. Cap. 27. *Nihil largiatur Princeps, dum nihil auferat.* Ex quibus igitur principiis, sanè non nisi pseudopoliticis, Domitianus hausit, quod in popularitatis artem non uno nomine impingeret, dum nihil pensi habebat, quin prædaretur omnimodo bona virorum & mortuorum usque quaque; Quolibet & accusatore, & crimine corripiebantur. Satis erat objici quaecunque factum, dictumque adversum majestatem Principis. Confiscabantur alienissima hereditates, vel existente uno, qui diceret, audisse se ex defuncto, cum viveret, heredem sibi Casarem esse. Sueton. in Ej. vita Cap. 12. Sed unde istæ iniquissimæ extorfiones? Inde, quod plurima ediderat liberalitatis documenta, omnesque circa se largissimè profecutus erat. Factum inde, ut ipse omnium odia in se concitaret, atque adeò mortem sibi, facta in ipsum conjuratione, acceleraret, quam & ipse sibi vates prædixerat.

§. 13. Ex his rectius intelliges summam Tiberij prudentiam in proposito popularitatis exemplo. Vix enim apparet ratio, qua ille rebus suis consulere rectius potuisset, quam qua se se ad ingenium populi libertatis pristinae male pertinacis applicuit, quod quidem egregiè fecit, dum legibus vim externam reliquit, ac sedulo cavuit, ne unius viri arbitrio de vitâ moribusque civium censura ageretur: præsertim eo tempore, quo populus pristinae libertatis memor severioribus legibus adstringi non nisi ægerrimè tulisset. Accedit, quod nihil æquè necessarium putem, quam periculum declinare, quod multum damni

& cladis in domum augustam introducere valuisset. Et certè declinavit Tiberius ista popularitatis arte, qua fortiora solatia è Reip. complexu petere profitebatur, effecitque, ut quicquid ageret, id populi causa, non sui ipsius egisse videretur. Nec intelligebat populus, id ad declinandam invidiam fieri, quin potius Principem amare leges, eumque publicæ libertatis tenacem esse arbitrabatur. Hæc quidem ejus generis sunt, quæ popularem Principem observare decet, si tamen huic arti gratiam ac populi favorem accedere velit, curam adhibeat, ut quicquid agat, ex amore in plebem egisse videatur. Hoc verò facilius planeque optato successu perficiet, si ipsi ingenium sit mite, æquabile, apertum, præferens utilia speciosis, & ubi opus est, miscere sciens, quale *Livio & Suetonio Civile* appellatur. Absque hoc enim si fuerit, cum omnia fiant simulatè, & sine justo modo debitaque circumspèctione, omnia erunt ingrata, invita, odiosa. Vix illustrius rei hujus exemplum quàm *Vitellij* reperies apud *nostrum lib. 2. Histor. Cap. 91. Comitibus Consulibus cum candidatis civiliter celebrans, omnem infima plebis rumorem in theatro ut spectator, in circo ut fautor affectavit. Quæ grata sanè & popularia, si à virtutibus proficiscerentur, memoria vite prioris, indecora ac vilia accipiebantur.* Ita fidus *Tacitus* noster magister est, ut adducto loco ostendat, quid sit illud, quod animam & vitam quasi dat huic arti. Id verò præstat virtus, moderatio, rectitudo, quas si Princeps non habeat, quàm vereor, ne ars frustra sit, quia ad optatam meram nempe benevolentiam ac amorem civium nunquam pertinet. Et licet forsitan accidat, ut illa quæ arte aguntur, callidisque simulationibus teguntur, maxima animi voluptate accipiantur, ut *Tiberii* popularitatem, de qua sermo est, acceptam videmus, nunquam tamen Princeps ipse satis amabitur. Nihil prohibet, quo  
minus

minus hoc alio ejusdem Principis exemplo declararem. Ille enim licet Patris patriæ nomen à populo sæpius ingestum repudiaret, neque in acta sua jurari, quanquam consente Senatu, permetteret, cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictans. Et id quidem rectissimè, quia motus fortunæ versabiles sunt, qui mortalitatem ludunt; nunc evhentes quosdam in sydera, nunc ad Cocyti profunda mergentes; non tamen fecisse fidem dicitur civilis animi, nec favorem populi sibi conciliasse, ideo quia istam insitam Claudia familiae superbiam in eo cognoverant, & paulò post majestatis legem restitutam videbant. Vid. *Tacit. Lib. 7. Annal. c. 72.*

§. 14. Non igitur sufficere videtur, ut quis popularitatis artem circumspèctè & prudenter exerceat, hoc est, hominum temporumque genio se se accommodet, & cum temperie justa decentique modo eam usurpet. Sed etiam oportet eum virtutibus his esse instructum, quales ad hoc negotium requiruntur, & populus amat desideratque. Quare, ut boni Principis ideam universè oculis subjiciam, non est, cum id & angustia chartæ non ferant, tentatumque idem plurimis iisque cordatis viris fuisse videas. Neque enim de nihilo est, quod circa præsens argumentum *Lipsius* præstitit in *Polit.* sed illas tantum virtutes persequar, quibus ille promptam inclinationem, amoremque in se regni-que statum promovere potest. Nescio enim, quo fato sæpe accidat, ut subditi Regem ament, cum regnum odio plus quàm Vatio prosequantur. Id verò exemplo Regni in confinio existentis declararem, nisi gravissima ratio, ne facerem, me moneret. Utrumque verò procul omni dubio imperans obtinebit, si sedulò moderatone, bonitate, clementia usus fuerit, quod vel inde necessarium est, quia absque istis virtutibus si sit, ars populari-

C 3

tatis



ratis nulla est, nullamque fidem apud cives invenit. Verif-  
sime *Plato Epist. 4. Tom. 3. p. 321. ad Dionem*, cui suadere co-  
nabatur, ne metui mallet, quàm amari, scribebat: *Διὰ  
τῆς ἀπειθείης τοῖς ἀνδράσι καὶ τὸ πρᾶττον ἐστὶ.* Ab eo quod placeat  
hominibus, actionum efficacia est. Ut igitur subditis placeat  
Princeps, suisque actionibus efficaciam addat, bonita-  
te præditus sit, necesse est. Nihil enim tam populare  
est, quàm illa, ut recte Cicero scribit *pro Ligario*; quia  
& sublata ea, & reliqua popularia esse desinunt. Multa  
igitur vel verbo dixeris, si bonitatem Principi tribuas. Hanc  
nisi ille sibi triplici via parare possit, lenitatis scilicet, benefi-  
centiæ, indulgentiæ, fallor. Lenitatem promerit in se ipso,  
verbis factisque benignus, comitate & alloquiis officia ci-  
vium provocans. Ab ea ita olim commendabatur Titus,  
ut ipsum amorem & delicias humani generis solenni no-  
mine appellarent, teste *Sueton. in Ejus Vita*, & Trajanus, qui  
ita cum civibus, ut pater cum liberis vivebat, *Plin. in Pan. c. 21.*  
Sed & promerit imperans in imperio, ut tranquillum illud  
sit & lene, nec alia ejus facies, quàm sereni cœli ac niten-  
tis, ut *Seneca* verbis utar *Lib. 1. de Clementia*. Hoc verò ex  
ingenio illorum hominum esse, *Lipsius Lib. 4. Pol. Cap. 8.*  
addit, præeunte *Tacito Hist. 1. 16. 7.* qui nec totam servitutem  
pati possunt, nec totam libertatem, quales sunt Euro-  
pæi, nequaquam verò Asiatici. De illis enim verissimum  
est, quod remissius imperanti melius pareant. Quare re-  
ctè judicasse Alexander Severus apud *Lampridium* videtur,  
cum ipsi nimiam popularitatem falsè objicerent & ma-  
ter & uxor, ac sæpe dicerent, *fecisse imperatorem sibi  
molliores potestatem & contemptibiliorem*, ille respondit, *sed  
& securiorem & diuturniorem*. Illis verò addat imperans be-  
neficientiam, quæ ut inter arcana firmandi novi imperii  
rectè refertur, ita eâ felicissimè usum Augustum videas  
apud *Tacitum 1. 2. 2.*

§. 15. De.



§. 15. Declaravimus, nisi fallor, satis superque prudentiam, quam ars popularitatis requirit, virtutesque, quibus quasi animatur, explicuimus. Reliquum igitur est, ut ad artem illiusque opera explicanda progrediamur. Consistunt ea omnia in moderatione veroque usu principalis dignitatis ac eminentiæ. Verum verò usum justamque dignitatis moderationem non consistere in hoc dixeris, quod per eam majestas & altitudo imminuatur; verum in eo, quòd in speciem, quam vel solam respicit, populo conceduntur nonnulla, ut alia eaque majora ad securitatem Principis, publicæ rei emolumentum salutemque pertinentia conserventur. Proinde temperie opus est, ne aut reverentiam terrore, aut amorem nimia humilitate imperans capret. Raræ hoc sed magnæ laudis, inquit *Lipsius*, cum virtutes specie dispares prudentia junguntur. Requiritur igitur ista ars ingenium subtile & omninò practicum videtur, si ubique eam, uti par est, exercere imperans velit: sin in parte, non difficile æque est, sed nec usque adeò utile erit. Ita enim vel in imperantibus communi suffragio notatis aliquod artis vestigium reperiri, quis dubitaverit? Et sane monstri loco Caligula habebatur, prodebat tamen unum & alterum popularitatis iudicium ex eo, quo pollebat perverso iudicio. Sic, ejus nomine insignitum pietatis officium fuisse, quod ipse in solvendis matri & fratri supremis præstitit, quia eo animum mitem & humanos casus dolentem ostendebat, *Suetonius* testis est. Nec minorem laudem consecutus ille est, cum publicè & coram toto populo funebrem orationem haberet, cineresque in urnas conderet. Ibi enim privatam egisse, civiumque fortunæ ac conditioni se æquasse videbatur. Pari popularitatis arte superiorum criminum memoriam feliciter delevit, cum damnatos & relegatos restitueret. Idem institutum in laudem  
cessisse:

cessisse Julio, idem *Autor. Cap. 75.* prodit, quin & ipse relegatis potestatem capeffendi magistratus munera dabat, eoque non eos tantum sibi, sed & alios, qui cum ipsis sanguinis quadam propinquitate juncti erant, obstringebat. Destructas quoque à plebe L. Syllæ & Pompeii statuas extruebat. Istam clementiam *Cicero in Orat. pro Ligur.* omnium rerum *maximè popularem* appellat. Ad hoc verò popularitatis genus non immeritò retuleris delatorum repressionem. Isti enim vel imprimis invisi sunt, quod crimina in viros claros struunt, vel structa adornant, ac per speciem legitimæ accusationis pravo nocendi proposito, adulatione in Principem, & spe præmii in judicio invidiosè magis, quàm verè & pro merito causæ exagitant. Id ut commodè fieri queat, scriptis publicis vulgatum esse, miror. Et fanè dici vix potest, quàm perversam licentiam acuat egregius, si Dîs placet Homericis, *Autor quidam Anonymus in Politico Aulico.* Ut ita non frustra fuisse *illustris Bæclerus* videatur, cum *Annotat. Polit. ad 2. Histor. Tac.* Istam calumniandi & deferendi artem perstringit. Non vaçat jam, ut ad communem locum de delatoribus aut accusatoribus excurram, cum indicasse hic sufficiat, repressionem delatorum de bonitate Principis clementiaque testari, & securitati civium, quam tantopere in principatu amant, consulere. Hinc *Plinius in Panegy. Cap. 34.* de represso ejusmodi delatore & in litus inhospitale ejecto: *ageret duram & anxiam vitam, relictaq; post tergum totius generis humani securitate, mæreret.* Eo verò nomine, quod non tulerit ejus furfuris homines, eoque securitati ultionique publicæ prospexerit, imprimis Titus laudatur, unde & eundem Diis æquatum esse, *idem Autor* scribit *Cap. seq.*

§. 16. Sicut artes prædictæ bonitatem clementiamq; Principis, vera popularitatis fundamenta ostenderunt,  
ita

ita nunc sequuntur, quæ, externa magis specie sepositâ,  
maximam æqualitatis gloriam Principi conciliant. Huc  
pertinet illud arcanum, quo promiscuis salutationibus &  
plebem admittebant optimi quique Principum. Id enim  
non potuit non gratum esse populo, qui, magni se fieri â  
Principe, cupiebat, cumque fieret, se ipsi æquatum esse,  
credebat. Ad idem simulacrum æqualitatis pertinet, mi-  
sceri vulgi voluptatibus, quod in Augusto laudat *Tacitus*  
*Annal. Lib. 1. Cap. 54.* & expresse *civile*, id est gratum & ac-  
ceptum populo, appellat. Ut verò alibi, ita hic quoque  
modum servet imperans. Peccasse enim nimiâ populari-  
tate Julianum Imperatorem *Ammianus Marcellinus 25.* &  
Henricum III. Galliarum Regem *Thuanus 66.* tradit. Omnino  
autem egregiè, vel *Förstneri Not. Pol. ad Tac. Lib. 1. pag. 204.*  
judice, majestatem humanissimis moribus, sed qui non  
temerarent tantum fastigium, temperavit Fridericus Da-  
niarum Rex. Sæpius amicos quasi seposita Regis persona ad sa-  
les & jocos, & in quæ liberior animus ruit, provocabat;  
monens, lascivirent secum, & jucunde ineptirent, dum  
Rex abesset. Postquam satis lusum fuerat, resumta regia  
gravitate, Heus, amici, inquit, mittamus nugas, Rex  
enim rediit. Non igitur majestas dignitatem excludit.  
Illa populos in cultum suorum Principum, hæc in amorem  
& benevolentiam advertit. Indorum sapientum effatum  
est: Principem, quo sublimior est, eo humaniorem si se  
inferioribus præbeat, carissimum omnibus futurum. Ad  
hoc genus insinuandi se populo ex superiori memoria referri  
potest, quod admissa plebe se se imperantes lavarent. Hoc  
enim in Tito *Suetonius*, in Alexandro M. *Curtius* laudat *Lib. 3.*  
*Cap. 5.* Neque id immeritò. Licet enim & aliàs acceptissi-  
mum sit populo, si privatis Principum actionibus interesse

D

sibi

sibi liceat, tamen illa ipsa res ex securitate maximam familiaritatem ostendit, quam supra omnia populus amat. Quin & in conspectu plebis cum amicis cœnare, quandoque laudi duci, magnamque populi gratiam conciliare Principi solet. Quam eum morem in Trajano, cui semper in medio cibus, semperque cœna communis erat, extollat *Plinius in Pan. Cap. 49.* in Antonino Pio *Capitolinus*, videas apud ipsos. Nec parum gratus habitus corporis, & vestimenta privatum non parum excedentia modum. De Philippo Rege *Livius Lib. 27. Cap. 33.* Populariter dempto capitis insigni, purpura atque alio regio habitu, æqua verat ceteris se in speciem, quo nihil gratius est civitatibus liberis. De aliis idem notavit *Lib. 24. Cap. 5.* quod non minus felici successu, vel eo vestimenti genere, quod in gente obtinebat, vel non usque adeò exornato usi fuissent: Alii verò tradunt, in quorum numero *Plutarchus est in vita Romuli*, non servasse nonnullos eadem vestimenta, quibus gens utebatur, sed vel alia assumpsisse, vel supra modum ornata adhibuisse, eo cum successu, ut cum vestitu civium animos, aliàs in Principem proclives, mutarent. Referrunt & huc blandæ salutationes & confabulationes merentur, quæ, si publicè fiant, vix dici potest, quàm illæ benevolentiam civium in Principem promoveant. In primis verò æstimari illam Principum comitatem ob Optimatibus videas. Hi enim, ut propius ad principale fastigium accedunt, sic præcipuè amant, ita se adæquari Principi. Multa hujus elementariæ civilitatisque documenta Augustus dedit, qui, quum accederet, nominatim in curiâ Patres salutabat singulos & quidem sedentes, & discedens eo modo sedentibus singulis valedicebat. Julius verò, cum posthabito isto more procederet, inexpiabilem invidiam hinc sibi maximè movit.

§. 17. Ut

§. 17. Ut autem hæ artes fastigium principalis eminentiæ ad gratissimum æqualitatis gradum temperant, populoque acceptissimæ sunt, & magna lætitia eum afficiunt, ita tamen iis Princeps uti debet, ut magis minusque, prout ingenia populorum, nationum, regionum postulant, eas exerceat. Illæ verò artes, quæ securitati civium, opibus, bonis consulunt, quibus injuriæ arcentur à plebe, quæcunque data occasione adhibendæ sunt. Cum enim ea, quæ ad vitam corpusque pertinent, plebs præcipuè appetat, & in iis felicitatem suam ponat, in regno vero, vel maximè æstimet, quia ad libertatem suam pertinere credit, operam dabit Princeps, ne ferocem & in seditiones nimis facilem excitet. Hoc vero futurum credo, si intranquillitate populum conservaverit, evitando singulas seditionum causas rationesque, quibus premi se populus putat. Deduxit eas in egregio *Politico* opere *Philosophus Lib. 5.* cum cujus textu conjungi merentur, quæ in eum *Cl. Piccartus* scripsit. Operæ igitur pretium me non facturum, crediderim, si altius repetam non subinde tantum tacta, sed uberius à Cordatis tractata. Id verò instituti ratio postulare videtur, ut, quæ ad illustrandum thema faciunt, persequar. Non facile negaveris, ad illud popularitatis genus pertinere delictorum facile oblivisci, noxiisq; libenter ignoscere. Sæpe enim errat populus, sæpe ob judicii imbecillitatem labitur. Vult igitur, ut sibi delinquenti facile gratiam faciat Princeps, & id vel inde potissimum, quia intelligit, adhuc neminem extitisse, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. Quid igitur faciendum Principi? Clementis justitiæ præceptum hoc habeat ex *Taciti Agricola Cap. 19. 4.* *Omnia sciat* (delicta suorum) *non omnia exequatur* (omnibus poenæ severitatem non imponat) *parvis peccatis veniam, magnis severitatem com-*

*modet; nec pœna semper, sed sepius pœnitentia contentus sit.*  
At verò dixeris, Principem proficere suppliciis. Fac pro-  
ficere, quæ hîc gloria? *Principi non minus turpia multa sup-  
plicia, quàm medico funera. Sen. Lib. I. de Clem. Cap. 24.* Inprimis  
verò efficax augendæ benevolentia remedium erit, si injuri-  
as sibi illatas Princeps non rigidè vindicaverit. Inde enim in-  
telligent subditi, omnia illum saluti civium postponere. Cre-  
scit hic majestas, dum remittitur; major fit, dum negligitur.  
Proxima isti arti est dîcteriorum & intempestivarum cen-  
surarum neglectio, vel certè lenis castigatio. Hac præ-  
cipuè gloriam sibi acquisivit Augustus, cujus clementia  
civilitatisque multa & magna documenta sunt. Junium  
Novatum & Cassium Patavium è plebe homines, alterum  
pecunia, alterum levi exilio punire satis habuit, cum ille  
Agrippæ juvenis nomine asperrimam de eo epistolam in-  
vulgus edidisset; hic convivio pleno proclamasset, neq; vo-  
tum sibi, neq; animum deesse confodiendi eum. In leviori-  
bus tantum abest, ut vindicem se præberet, ut potius expres-  
so nomine ad Tiberium rescriberet: *Satis esse, si hoc haberet,  
ne quis ipsi male facere posset. Sueton. Cap. 51.* Tiberii quoque  
hac in parte patientiam laudat idem Autor, ejusque ci-  
vilitatem commendat *Cap. 29.* ex ista formula: *Ignoscas  
rogo, si quid adversus te liberius sicut Senator dixerò.*

§. 18. Ac hæ quidem popularitatis artes faciunt  
populo securitatem, adeò, ut aliquando speciem libertatis  
relinquant, præsertim illius, quam vel ubique, vel sub  
imperio regio maximè æstimat desideratque. At verò se-  
quentibus vitæ bonisque civium consulitur, quod extre-  
mum libertatis genus appellari posse diximus. Ut primum,  
cum datur opera, quo civibus otio paceque frui liceat. No-  
tatu dignus locus est, qui in hanc rem apud *Ciceronem Orat.  
de Lege Agrar.* extat: *Nihil tam populare, quàm pax, quàm  
concor-*

*concordia, quàm otium.* Hinc illa Augusti, omnium hominum favorem captantis, ars vim suam accepit, cum *omnes dulcedine otii pellexit*; Tac. Ann. 1. 2. Deinde cum ex omnibus una aut præcipua vulgo cura annonæ sit, ejus imprimis rei que frumentariæ rationem habeat imperans, ne Resp. caritate annonæ laboret. Et hoc probè observavit Augustus. Nam cum intelligeret, nihil vulgus à Principe requirere, quàm panem & frumentum in foro: cum sciret, Cererem & Bacchum & Otii dulcedinem innocenti stupiditate plebem colere neq; in alios magis, quàm qui ad hæc Numina sua avaras manus porrexerant, exarsisse, omnibus modis laboravit, ut numeros suos pulcherrimè omnium impleret. Ne repetam, quæ de eo Tacitus habet Cap. 2. valde notabilis locus est, qui apud Suetonium reperitur Cap. 41. *frumentum*, inquit Historicus, *in annonæ difficultatibus, sæpe levissimo, interdum nullo pretio viritim ad mensus est Augustus.* Tiberius, incusante plebe Romanâ sævitiam annonæ, statuit frumento pretium, quod emptor penderet, binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios. Vespasiano & Aureliano Imperatoribus volupe fuisse dicitur, pascere populum. Vid. Forstn. ad Lib. 4. Annal. Pertinet huc cura mercaturæ, quam ita Princeps gerat, ut ea sit libera, facilis, commoda. Ubiq; ipsi satis fecisse Trajanum, incomparabilis Panegyrista Cap. 29. tradit: *Nec Pompejus civilius quam parens noster autoritate, consilio, fide, reclusit vias, portus patefecit, itinera terris, litoribus mare, litora mari reddidit, diversasque gentes ita commercio miscuit, ut, quod genitum esset usquam, id apud omnes natum esse videretur.* Ubi notanter Autor generi civilium accenset istam mercium importandarum & exportandarum curam.

§. 19. Ad hanc popularitatis classem referas quoque, si Princeps non usque adeò rigidè onera, quæ subditorum

humeris incumbunt, efflagitet, aut tributa non nimis acerbe exigat. Vix enim crediderim amari, qui non torquendo gregem suum, sed excoriando & deglubendo opulentos se evasuros pastores putant. Nec majoris fieri illos videas, qui, egestatem civium dominantis securitatem esse, existimant. Præterquam enim quod à se civium animos alienant, egregiè falluntur. Paupertas quippe & egestatis fastidium non abjectos homines facit & injuriarum patientes, sed quia afflictæ ipsorum fides est in pace, & unica spes in turbatis rebus, novarum rerum extremè cupidus: ut nihil sit tam difficile tamque anceps, quod illi non audeant. Quin & in Deum & naturam gravissimè peccare, qui absque prægnanti causâ acerbissimis exactionibus miseros cives premunt, eruditè, ut solet *Förstnerus Not. ad Lib. 4. Tac.* ostendit, & recentissimæ memoriæ exemplo, ex *Polydoro Vergilio* petito, declarat. Referre eum scribit de Eduardo Angliæ Rege in *Historia Anglica*, quod, cum ingentem auri vim ex tributis redactam ad se afferri jussisset, malum dæmonem viderit fœdissima specie pecuniis insidentem: eoque spectaculo territus pius Rex præceperit, suum cuique reddi. Sapere sibi mirum in modum nonnulli videntur, qui nova prædandi vocabula, centesimas, quadragesimas, quinquagesimas, columnaria, hostiaria excogitant, iisque deploratæ causæ colorem facere laborant. Sed quàm vereor, ne nimium sapiant isti. Parant sub istis titulis pecuniam, perdunt Principis famam & incolumitatem Reip. Proinde tutius est, retinere vetera. Sunt alii, qui ereptum alienas pecunias eunt, quia perdididerunt eas, quas habebant. Hi spongas faciunt cives, exprimuntque, postquam affatim biberunt. Per hoc verò ita proficiunt Principes, ut inter causas debilitati Romani imperii à Tacito referatur *Lib. 1. Ann. Cap. 2.* Hæc pestis, hæc  
perni-



perniciēs, cum satis in privatorum fortunas lævit, cum Principi plerumque plus odiorum & invidiæ, quàm opum contulerit, tandem nisi obviam eatur, in ipsius Principis exitium vertit. Quicquid enim scelerum, quicquid rapinarum & concussionum isti Laverniones exercent, quodcunque iniustitiæ genus committunt, quicquid denique peccant, id sub regio nomine peccant. Adderem plura, nisi, nobis sæpius laudati, *Lipsius, Förstnerus, Bæclerus* egregiè argumento satisfecissent.


§. 20. Quin plures ejus generis artes dentur, ob quas populares Principes appellantur, nullum est dubium. Potissimæ tamen illæ sunt, quas declaravimus, indeque de naturâ ac indole reliquarum faciliè judicabis. Unum tamen, antequam abeamus hinc, monendum censemus, scilicet dubium esse, quid de novis tabulis, & lege agraria sentiendum sit, quarum plebs potissimum appetens fuit, & an ne inter artes popularitatis referri debeant, cum nonnunquam apud Scriptores inter blandimenta plebi data legantur? Vix merebuntur locum in iis, ut quæ tollebant fidem, summaque injuriâ cives afficiebant, quæque sine discordia & exitio civitatis fieri non poterant, ut hoc insigni loco *Lib. 2. Offic. Cicero* declarat. Ne tamen velim intelligas de novis Principis tabulis, quibus ille debita fisci sui expungebat & remittebat: Id enim inter præcipuas popularitatis artes numerandum esse, vel ex superioribus intelliges; Sed de novis tabulis inter cives, quibus adimebantur nonnullis pecuniæ, & aliis dabantur, idque beneficio nominum per novas Tabulas in superioribus delectorum.

---

### ERRATA.

§. 3. *Lin. 17. lege hac §. 5. lin. 7. accommodet §. 8. lin. 15. lege, tradere me tantum §. 10. lin. 15. impleam.*

COROL.



## COROLLARIA RESPONDENTIS.

- I. **T**heologia Paradisiaca, quae fuit in primis nostris parentibus adhuc integris, fuit merè legalis, & non simul evangelica.
- II. Symbolum Apostolicum non est adequatus catalogus, explicitè continens omnes fidei articulos, scitu & creditu ad salutem necessarios, & per consequens hujus symboli professio non sufficit, ut quis pro orthodoxo habeatur.
- III. Salvati aliquem posse, quamcunque etiam religionem amplectatur, nonnullorum sententia est; sed fallunt & falluntur.
- IV. Deus non potest dici causa peccati.
- V. Deus, licet non possit omnia, omnipotens tamen dici potest.
- VI. Tres Personae S. S. Trinitatis minus accuratè à nonnullis habentur pro causis sociis creationis; tolerabilior verò sententia est, quàm nonnemo asserit, tria dari principia quae creationis.
- VII. B. O. sunt necessaria fidei, non necessitate meriti, nec medii, sed necessitate praecepti & obsequii.
- VIII. Sola fides, sed non solitaria fides justificat.
- IX. Consensus parentum non tantum est de honestate, sed etiam de necessitate matrimonii.
- X. Q. Quid de Polygamia Patrum sit sentiendum?
- XI. Ecclesiae vera nota duae sunt, videlicet pura verbi divini praedicatio & legitima sacramentorum administratio.
- XII. Judex non secundum acta & probata, sed secundum propriam scientiam & conscientiam judicare tenetur.
- XIII. Non dantur  $\lambda\upsilon\kappa\acute{\alpha}\nu\theta\omicron\omega\mu\iota$  physicè & essentialiter, sed tantum ethicè, moraliter & accidentaliter tales.
- XIV. Cruentatio cadaveris, quae aliquando excitatur, quando reus cadaver contrectat, non potest haberi pro apodictico & infallibili homicide indicio.
- XV. Deus existit extra causas suas negativè non positivè.

F I N I S.

01 A 6574

ULB Halle 3  
003 090 566



R. V D 17





# POPULARITATEM PRINCIPIS,

*AD*  
EXEMPLUM TIBERII

*Ex*  
C. CORN. TACITI *Lib. 3. Ann. c. 69. n. 4.*

## Annuente supremo Numine

*IN CELEBRI ATHENÆO*

Magnificentissimi SENATUS TREMONIANI *Inst.*

*Publico Eruditorum Examine*

SUB MODERAMINE

# M. CHRISTIANI GRÜBELII,

ARCHI-GYMNASII PRO-RECTORIS  
& Phil. P. P.

*Submittit*

RESPONDENS

## JOHANNES à Steinens

Frönberâ - Marcanus.

*Ad diem 24. Martij,*

A. R. S. clo lœ LXXVII.

*In Auditorio Majori.*

---

TREMONIÆ æc ANTONII Kùhls.

